

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum**

**Fecht, Johann**

**Francofurti et Spirae, 1684**

**VD17 VD17 3:315948Z**

Epistolarum theologicarum pars septima

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

EPISTOLARUM  
THEOLOGICARUM  
*PARS SEPTIMA,*

Ab A. D.

M D C.

usque ad annum

M D C XII.

68888

Faint, mirrored text bleed-through from the reverse side of the page, including the words "BIBLIOTHECA" and "CAROLINA".





## I.

*S. Reverende & Clarissime Domine Doctor.*

**S**pero & opto, cum conjugē & omnibus domesticis tuis te rectè vale-  
re. Intelligo, filium meum Matthæum ad vos ex Italia rediisse, vel  
paulò post rediturum. Ille tua meaque amicitia, & multis à te perce-  
ptis beneficiis, ac promissionibus benigne factis plurimum nititur, per-  
suadens sibi, te procuratore nacturum se discipulos, quorum sumptibus in Gal-  
liis aut alibi studium Juris inchoatum feliciter pertexere possit. Valde igitur  
te rogo, ut meæ tenuitatis, & filii ingenii excolendi rationem pro virili habeas  
& quocunque modo possis, eum juves. Senesco annis & curis & ante men-  
sem pridie Conversionis Pauli, in templo nostro tam violente lapsus sum, ac ter-  
ræ illisus, ut interea nec concionari nec legere in Academia potuerim; & ex  
his literis male pictis, quam difficulter manum moveam, non obscure vides.  
Quæso te secundo, ut filium meum tibi commendatissimum habeas, & curæ  
suppellectilis meæ memor sis. Promitto gratum animum & studium vicissim  
de tuis bene merendi. Bene vale cum honestissima conjugē & liberis, quos  
tecum, & Reverendo ac Clarissimo Domino Doctore & Superintendente, Jo-  
hanne Pappo, peramanter & officiose saluto. Dat. Rost. 24. Febr. 1600.

T. R. S.

Val. Schachtius.



## II.

*Salutem in Christo Jesu, Domino & Servatore nostro.*

**P**ostquam, Reverende & Clarissime Domine Doctor, amicè & frater pluri-  
mum honorande, per multas & graves ærumnas, quibus, maximè propter  
obitum conjugis meæ dilectissimæ p. m. longo tempore affectus fui, DEI gratia,  
sum eluctatus, tandem quasi postliminiò, ad scribendi munus, jam aliquandiu  
interruptum, me confero. Porrò qui has offert, Moses Held Ulmensis, ab in-  
eunte ætate alumnus fuit nostræ scholæ, adolescens & ingenio liberalissimo,  
Ggggg 2 opti-

optimo ac felicissimo, & ad studia & ad lucubrationes exuscitato ac impigro: ita moribus quoque admodum placidis, sedatis compositis & integris est, alienus ab omni protervia & improbitate, & commercio malè moratorum sodalium, gaudens à lectionibus & exercitiis publicis se abdere in Musæum, & libris affixus esse, denique se continere, *ἑωυτόθεν καὶ τὰ ἴδια ἀσχέται.* Talem enim ego ipsum semper hic deprehendi, & eo nomine, ut & propter alia dona, ac doctores ingenii, & virtutes ex eo elucescentes, omnibus bonis semper charus fuit. Is cum non ita pridem partim ab Inclyto Senatu, partim ab aliis quibusdam Mæcenatibus, sumptus ad studia necessarios impetravit (eos enim à matre vidua, patre ante triennium peste defuncto, habere non potuit) apud vos solidiorem scientiam comparare cupit. Proinde, quanto possum, studio à te peto, ut bono huic adolescenti, oblata occasione, succurrere consilio, conatus ipsius honestos promovere velis. Hoc beneficium adolescens ille, & ego, & multi à lui boni viri gratis animis agnoscent, inque id incumbent, ut grati & memores inveniantur. Optime valeas, Reverende & Clarissime Vir, Domine, amice & frater plurimum colende, cum conjugè honestissima & liberis dilectis. Datum Ulmæ, ultimo Aprilis, Anno 1600.

Dignitatis Tue

Studiofissimus

Johannes Wesebeccius, D.



III.

S. Reverende & clarissime D. Doctor, amice vetus & observande.

Lætor, te cum conjugè & liberis rectè valere, Deumque oro, ut diu superflitem te sibi & Ecclesiæ suæ servet. Gratas quoque tibi, quantas possum, maximas ago, quod filium meum, Matthæum, in convivium tuum receperis & de honestissima Pædagogia ei prospexeris. Spero, eum operam daturum, ut gratam mentem tibi tuisque, & fidem ac diligentiam discipulis suis prober. Et te valderogo, ut ipsi sis loco patris, & quid eum facere velis, libere moneas & errantem corrigas. Orbati sumus dextero oculo Academix nostræ, Viro incomparabili, D. Chytræo, cujus memoria sit in benedictione. Ante ostituum gener ipsius, D. Frederus, desperato morbo laboravit, è quo sensim eluctatur. Nunc pauca mitto scripta funebria. Ubi cætera prodierint, illa his adjungam.

Bel-

A. 1600.

PARS SEPTIMA.

789

Belgicas novitates haberem quidem, sed describere in hac festinatione non licet. Dubitatur, an Albertus vivat vel mortuus sit. Admiralius captus est, Vexilla hostibus erepta 113, utrinque 9, millia ceciderunt, bis mille Hollandi, Hispani præcipui & flos exercitus ipsorum decussus est. Mauritius plæraque Castella occupavit & Niportum speratur brevi expugnaturus. Sed forte vos certiora isthic habetis. Carolus Dux Sueciæ, non nomine quidem, sed re Rex est. Renunciatio fertur brevi futura. Cum Lubecensibus tractat de conditionibus pacis. Polonicus exercitus à Maximiliano fusus scribitur. Interim Turca se recolligit, ut exhaustos bellis intestinis facilius opprimat. Reverendum & Clarissimum Virum, D. Johannem Pappum, officiose saluto, meo & generi, D. Davidis Lobeckii nomine, cui pervelim filium Matthæum data occasione de meliore modo ac forma commendes. Bene vale cum honestissima conjuge & tota domo, Dat. Rostochii, 7. Augusti, ao. 600.

T. R. S.

Val. Schachtius.

IV.

*Salutem per Christum, Reverende & clarissime Domine  
Doctor, frater in Christo honorande, & plurimum dilecte.*

Spero & opto, te cum honestissima conjuge ac liberis rectè valere, ac filium meum Matthæum in officio suo fideliter fungi, Deumque oro, ut suo spiritu nos omnes doceat & gubernet. Gratias, quantas animus concipere possit, maximas tibi pro indebita erga me & filium benevolentia & multiplicibus beneficiis ago, & referam precibus & aliis officiis, quæ præstari a me poterunt. Illustrissimus princeps noster Uldaricus laborat de Doctore Davide Rungio, in locum D. Chytræi substituendo, a quo mei Collegæ non abhorrent. Superintendens Lubecensis, M. Pouchenius ante mensem piè in Christo obdormivit status istius urbis & Ecclesiæ satis deploratus est. Carolus Sueciæ gubernator cum exercitu in Livonia arces aliquot occupavit & Rigenibus etiam bellum denunciavit. Rex Scotiæ mirabiliter servatus, & ex manibus duorum comitum, vitæ ipsius infidiantium, sanguivolentis vix liberatus est, quos minister ipsius, unum post alterum, ad orientes regem strictis gladiis, confosos interemit. Apud nos omnia mediocria. Filio meo sis pater & vale

Ggggg 3

cum

cum tota familia. Salutant vos omnes domestici mei. Dat. Rost. 10. Novemb. ao. 600.

L. R. S.

Val. Schachtius.

V.

*S. Reverende & Clarissime Domine Doctor Philippe, Domine & amice vetus, cum observantia honorande.*

**L**etor ex animo, tibi tuisque bene esse, & propter insignem doctrinam, pietatem, ac modestiam, & multa ac magna in me, & Matthæum meum officia & beneficia, te sicut decet, veneror, amo, & modis omnibus colendum censeo. Quæso, ut in illius salute ac commodis promovendis non obrepat tibi tædium vel molestia ulla, & si forte quid causæ accidat ad offensionem movendam, id prudentiæ ac lenitati tuæ corrigendum permitto. Succures etiam ipsi consilio & ope tua, quando ea videbitur indigere. Audio, D. Davidem Rungium vocari in locum defuncti D. Chytræi, quo eventu tempus dabit. D. Frederus nondum plene restitutus est priori incolumitati suæ. Utinam tandem restituatur! Actio Brunsvicensis cum suo principe optato successu caruit. Carolus Dux Sueciæ totam fere Livoniam sibi subegit, excepta urbe Rigen. Quid in Comitibus Warsovienfibus contra ipsum fuerit decretum, postmodum cognoscemus. Ego & D. Lucas rejuvenescimus in novis & Juvenibus Professoribus, qui paulo post emigraturis nobis substituuntur, & DEUM oramus, ut veritatem & pacem apud nos & alibi fervet, quæ duo eximia DEI dona passim desiderari gementes audimus, ne dicam, hic etiam experimur. Reverenter saluto Superintendentem vestrum, D. Doctorem Johannem Pappum, & alios Theologos ac Professores vestros orthodoxos, cum quibus in Domino unitatem fidei ac confessionis servare studemus. Bene vale cum lectissima conjuge, & liberis charissimis. Dat. Rost. 15. Februarii, anno 1601.

*Tua Rev. Dign.*

*Studioff.*

Val. Schachtius.

VL

## VI.

*Salutem per Christum plurimam.*

SI valetis, bene est, Valeamus. Reverende & eximie Dn. Doctor, Domine & Samice in Christo mihi plurimum observande & dilecte. Γεγονεσις iste, M. Helvicus Garthius, Alefeldianus Hessus, juvenis excitato ingenio & eruditione, pro ea ætate non vulgari, aditurus celeberrimam vestram Academiam, vehementer à me petiit, meis literis aditum quendam ad R. T. Dign. sibi aperiri. Etsi autem minimè abutendum existimo Vestra benevolentia, fretus tamen insigni humanitate. & erga ingenios piæ eruditionis alumnos summo studio, cujus argumenta nunc apud me extant plurima, non dubitavi, à R. T. Dign. hoc officii flagitare, ut patiatur M. illum Garthium sibi esse de meliore, quod ajunt, nota commendatum, Omnino enim confido, fore eum ejusmodi, ut neque me intercessionis meæ, nec R. T. Dignitatem tuæ benevolentia pœnitere possit. Constat procul dubio R. Tuæ Dign. de controversia D. Hoffmanni cum Philosophis Helmaestadianis, de qua ante triduum ad me fuerunt allatæ literæ, ejus hunc fore exitum, ut D. Hoffmanno difficulter pateat reditus, ad Academiam Juliam. Dn. D. Hunnius, Præceptor meus perpetuò observandus, qui Tybingam putabatur hoc tempore concessurus, anni unius adhuc facultatem impetravit, in Saxonia permanendi. Academiæ nostræ status, DEO largiente, satis nunc est tranquillus & felix. Saluto perquam reverenter & officiosè Collegium Vestrum Theologicum. Vale quam optimè, eximie Dn. Doctor, & hanc meam compellationem in optimam partem interpretare. Dabantur Margurgi festinanter XXVI. Martii, Ao. D CI.

R. T. Dignitatem

*studiosissimè observans*

Balthasar Mentzerus, D.

## VII.

*Salutem in Domino Servatore nostro. Reverende & clarissime Domine Doctor, amice & frater plurimum honorande.*

LAurentius Majerus circa hujus anni exordium abs te mihi commendatus, satis commodum apud nos locum in ministerio Ecclesiastico obtinuit. Alterum verò Dominum M. Matthiam Mevorum non vidi, nec sanè suadeo, cum nihil polliceri queam, ut ad nos spe provinciæ alicujus confere-

quon-



quendæ professionem suscipiat. Præter alumnos enim Illustrissimi nostri Principis sollicitè admodum apud nos instat vir doctissimus, M. Johannes Præntelius, tibi fortassis non ignotus, qui ex Styria ejectus Ratisponæ privatam & miseram agit vitam. Cujus ut & aliorum exulum Christi vicem vehementer doleo, ac opto, ut redemptor ille noster tandem tot malis glorioso suo adventu finem imponat.

Mitto libellum contra Pistorium apostatam recens editum, cui præmissum alium germanicum de Scriptura & Ecclesia. Multum ille negotii mihi facessit, & colloquio inter nos & Bojos de Religione instituendo, cujus in tuis mentionem facis, se immiscet. De illius processu inter nos & illos præsertim verò de Judice etiamnum certatur, ac fieri potest, ut vel tandem congruamur de illo ipso, in primo congressu, adeoque de principio religionis nostræ Christianæ, pertinaciter hucusque ab illis oppugnato, acturi. Quid Pistorius ille in Aula Imperatoris, ubi quantum ego quidem intelligo, etiamnum hæret, machinetur, facile divinare licet. Nuper confessionarius vel penitentarius Cæsareæ majestatis fuisse, atque ab eadem amplos redditus annuos obtinuisse dicitur. Dominus confundat Achitophelem illum cum omnibus suis consiliis. Vale, Doctor clarissime, amice & frater honorande, ac clariss. virum Dn. D. Pappum meo nomine officiosè saluta. Si molestum non est, paucis rescribe. Neuburgi ad Ikrum, 20. Junii, Anno Domini 1601.

*Rev. Tuae Dignitatis*

*studiofissimus*

Jacobus Heilbrunner, D.



IIIX.

*S. in Christo Jesu, DEO, & Homine, Unico Salvatore nostro. Reverendi & Clarissimi viri, D. fratres, officiosè colendi.*

**S**cripsit ad me Reverend. & doctissimus vir, D. Adamus Herzog, Inspector seu Superintendens in vicino vestro Comitatu Hanauensi, quod propter publicam concionem de Absolutione habitam, cujus excusæ Exemplar mihi misit, per politicos ejus loci ab officio remotus fuerit, ac jam in exilio Francofurti ad Mœnum degat, ac petit meum judicium de sua concione, quam perlectam profectò improbare non possum. Et cum in suis literis, sicuti etiam in præfatione Concionis, omnem moderationem & pacis studium in Controversia Sacramentaria promittat, omninò judico, vos Theologos debere ejus rationem habere, ac amicè cum ipso conferre, ut si

ut si qui reliqui ejus animo scrupuli insideant, eximantur, ac ita quieta conscientia ad nostras Ecclesias accedere possit. Et planè confido, ipsum sua eruditione & placiditate multum penes eos, qui hæcenus nobis adversati fuerunt, fructificare posse. Quare cum vos ei viciniore sitis, quàm aliarum Academiarum Theologi, V. R. D. per Christum rogarem, ut literis aut ad ipsum, aut ad unum vel alterum è Francofurtensi Ministerio datis eum invitaretis, quò vos Argentinæ conveniret, vos ei omnia officia humanitatis & placidi Colloquii exhibituros; ac etiam si initio non in omnibus circumstantiis nobis consentiat, si modò in principalibus astipularetur, haud dubie Dominus & in reliquis eum mox nobis adjuncturus esset. Quia & D. Petrus initio, licet in agnitione Christi esset institutus, de vocatione gentium dubitavit. A. & 10. de qua postea per linteam animalibus mundis & immundis refertum rectè edoctus fuit.

Exemplar ejus concionis per Ministros Francofurtenses Ursellis, ubi impressa est, comparare poteritis. Hæc certè non curioso, sed pio & DEI gloriæ studio animo scribo.

Quod statum nostræ Academiæ attinet, pristinus est: Disputatio mea de Persona Christi adhuc suspensa manet: Interim tamen licentia eam doctrinam in Ecclesia & Schola docendi, ac errores Calvinianorum refutandi non adempta. Præcipua causa est, quod ii, qui possent meam Disputationem promovere, non omnes consentiant. Video tamen nihilominus, meum officium penes multos hæc multum fructum facere, ut eam ob causam hæcenus locum mutare non potuerim, cum certè præterito autumno vocationem in patriam habuerim, sicuti etiam ibidem dissidii de Ministerio pacandi causa, sic volente senatu Biberacensi & Noribergensi, sex conciones habui, quas spero brevi in lucem exituras.

Hæc Rever. & Clariss. viri, D. Fratres honorandi, ad V. R. D. scribere volui. Salutem officiosam vestris Dn. Collegis adscribo. Dat. Altorfii, 25. Junii, Anno Christi, 1601.

V. R. D.

Deditiss.

## Jacobus Schopperus, D. Concionator & Professor.

*Inscriptio.*

Den Ehrwürdigten und Hochgelehrten Herren/ Johann Pappo/  
und Philipp Marbachen/ beyden der Heil. Göttlichen Schrift  
Doctoribus, und bey der löblichen Hochschule zu Strassburg  
Professoribus, auch respectivè Superintendentsen alda/ Meinen  
Insunders Gl. Herren und gueten freunden.

H h h h h

IX.

## IX.

**N**ON me memoriâ tuâ, Reverende & Clarissime D. D. Præceptor omni observantiâ colende, ideò excidissè putabo, quod Reverendæ tuæ Dignitatæ, literis crebris mihi obltrepenti, responsi hæctenus fortè datuna fuit nihil; quam enim multis & variis negotiis illa nunquam non urgeatur, adeò mihi constat, ut omnibus vacare semper labores quotidiani non patiantur, quapropter facile acquiesco, sperans fore, ut, si pro oblatâ occasione, tribus vel quatuor literis Rever. tuam salutando, ad grati discipuli exemplum, meam observantiâ illi declarem, Rev. tua hoc animi mei argumentum promptâ sit acceptatura fronte. Meus quis sit status Rev. tua rogat, exgius certè, adhuc enim extra ministerium, sic me regente Domino, vivo, tu, Reverende vir, si tuo me consilio, auxilio, & promotione juvare potes, ut certe potes, mei quæso non esto immemor: vide quàm egregiè, hoc in te benevolè suscepto, operam tuam mihi navare possis; DEO ministerium meum consecraret, discipulo tuo in re familiari succurreres, & denique ut me, sic & meos omnes, usque dum viveremus, tibi, Præceptor, obstringeres: Faxit DEUS, ut omnia benè fiant, &c. Rev. D. D. Menzerus contra Pistorium nunc est in castris, nervum militiae monstrant hæc nundinæ. Studiosi nostri Marpurgenses qui abituriunt, omnes fere Argentinam contendunt, dici autem non potest, quam Schola vestra apud nos sit in existimatione, cui precor incrementa à Domino. Nova cum nobis inaudiantur nulla, nunc taceo, & scriptum finio, Reverendam tuam Dignitatem DEI Optimi Maximi tutelæ cum totâ familiâ commendans.

Dabatur Marpurgi Cattorum, Anno 1602. 23. Martii.

R. Tue

ols.

Georgius Herdenius, D.



## X.

*Sal. in Servatore Christo, Reverende & clariss. D. Doctor, compater frater & collega honorande.*

**L**iber refellens articulos aliquor falsò impositos, qui in vulgatis editionibus Augustino ascribitur, tom. VII. col. 1352. propriè non ipsius Augustini est, sed discipuli ejus, Prosperi Aquitanici, episcopi Rhegiensis, ad capitula objectionum Vincennanarum. Qui quidem Prosper, eodem planè argumento etiam scripsit Responsi-

ones

ones ad Capitulo Gallorum, ad excerpta Genuensium, & contra Collatorem Casianum: quæ omnia videri possunt in volumine Prosperi, quod inspiciendum mitto. Habetur tamen liber ille pro Augustiniano, non tantum ab Erasmo, aliisque Pontificiis, sed à Lamberto Danæo etiam, in paratilis tom. VII. Augustiniani. Itaque à nobis etiam, vel pro Augustiniano citari poterit, vel pro Prosperiano. Nihil enim authoritati ejus alterutra harum rationum decedit, cum ut in jure civili Pater & Filius pro una persona reputantur, sic Præceptor & discipulus <sup>præceptor</sup> unam similiter representent personam. Oratio tua de amplitudine meriti & passionis D.N. J. C. mihi perplacet. Bene in Christo Servatore vale, Argentorato, 24. Martii, 1602.

Rev. Dign. Tue

Studiofif.

J. P.



XI.

*Salutem omniaque prospera tibi tuisque, Reverende & clarissime Domine Doctor, amice & frater plurimum colende, in Christo Servatore precor.*

Quæ ante aliquot menses de M. Helvici Garthii donis & virtutibus scripsisti, iisdem se quoque nobis probavit & comendavit. Disputationem namque de Discrimine Legis & Evangelii à se contra Bellarminum conscriptam magna cum laude publice defendit. Non minori cum approbatione concionem ad populum, & lectiones, quas vocant, cursorias studiosis dedit. Denique in Examine præclaram suam eruditionem abundè testatam nobis facit. Unde summos in Theologia honores ipsi conferre minimè dubitavimus: Optima spe freti, ipsum donis divinitus sibi collatis in Ecclesia Christi utilissimè laboraturum, & fortem veritatis hyperaspisten contra Jesuitarum & Calvinianorum strophas & imposturas strenuè se præbiturum esse. Cujus sanctis laboribus Christus Ecclesiæ caput suo spiritu adesse & benedicere, eique vitam in plurimos annos prorogare velit, Amen. Bene in Christo vale. Reverende & clarissime Domine Doctor, amice & frater conjunctissime. Tubingæ, 20. Maji, Anno 1602.

R. D. T.

Studiofissimus

Stephanus Gerlachius, D.

H h h h 2

XII.

## XII.

Vicem meam doles, Reverende & Clarissime D<sup>a</sup>. D. Præceptor, Promotor omni observantia mihi colende, mei quod in patria hætenus non habita fuerit ratio, ah qui non doleas? ecce enim, conatus sum, absit arrogantia, quæ decent ingenuum, & verò mei usus, & laboris præmium ubi est? Pudet dicere, vivo & nemini vivo, delitescō, torpesco, & quid non dicam, *terra pondus sum inutile*. O fatum quàm dejicis, dolent alii, & sanguis mihi meus exarescit, verum fateor:

*Strangulat inclusus dolor, atque cor aestuat intus,  
Cogitur & vires multiplicare suas.*

Sed quid sic angor? vereor ne peccem; novi DEUM, qui me non ignorat: *is in consilio deducis, & in gloriâ suscipit*; novi crucem hanc, quam DEI filius con-ducatur, te denique, fortuna, novi, scio inimica non es, fallis enim ut plurimum, invidio si blandiaris nimium. Restat solatium mihi unicum, spes præmii unica; nam ut ait Comicus

*Ὅστις ἀθύρειν τὴν ἡλικίαν περὶ αὐτὸν δῶ  
ἄδρει, πρὸ βελτίου δὲ ἀποδοκίμῃ ἀεί.*

Vos interim (te Rever. Pappe appello quoque) Præceptores, rogo & per Deum rogo, curam & sollicitudinem vestram de me non deponite, priusquam aut id, quod ad vos cupio, consequar, vel de alio idoneo, mihi que & meis studiis commodo loco, Dominus mihi prospexerit.

Videtis, quantum in vobis mihi sit spei repositum, quæso ne me confundatis; Committo vobis curam negotii honestissimi, & gloriam concernentis ipsius DEI, hujus gratiâ dum in vos suscipitis omnia, certò scio, hanc in me quoque infirmo vase non negligetis: tentor Ego vester discipulus; advoco vos, ô pii Præceptores, adeste mihi solatio, consilio, opera, &c.

Hocest quod, Præceptor observande, D. Clariss. ad te exarare debui, amame, ut facis, æternumque *σὺ τῆ κατ' ἴκον ἰακχούα* vale. Datæ Marburgi, 27. Julii, ao. 602.

R. V. D.

*observans discipulus*

Georgius Herdenius, D.

Saluta quæso ex me humaniter, Reverendos & Clarissimos viros, DD. D. Nasserum, Licentiatum Fabrum, & M. Speccerum Heb. Theologos.

XIII.

## XIII.

**N**on ipse contentus in amicitiam tuam penetrasse, Reverende & Clarissime D. D. Præceptor colende, aliis ecce & fores aperire conor: abit enim ad vos M. David Wafius, cui cum ob virtutem id optem, quo vel unico vestra me affectit Argentina, cum tibi, O scholæ vestræ lumen, commendo, & sic, tui ut habeat notitiam, notitiam quæ in adfatu & mediocri tecum conversatione ponatur. Dico satis, sat enim gloriæ, te virum in celebri loco celebrem vidisse, & convenisse: Juvenis est, & τῶν πολλῶν; Verè tibi hoc confirmo, audire Oratorem, Poetam, Philosophum insignem, Musicum, Theologiæ studiosum exercitatissimum, plura de eo non, ipse loquetur; modò eum vel meâ causâ benigniore vultu excipe. Me quod atinet, usque nunc à vocatione & laboribus publicis ministerii vaco: Heu metuenda dies, per hunc tristem meum casum mihi volui, cur non cessas? crede mihi, pauca non sunt, per quæ durum mihi sic pati: Unum excedit omnia, quo ferè dejicior: otia mea. *χρῆν· χρῆν· χρῆν· πολυτελέστατον ἀνάλαμνα*: scilicet, ut in flumine aqua aquam trudit, nec elapsam revoco, sic dies diem, in hoc otioso meo tempore, nec amissam reparo; Sed vadat ut vadit, videat modo DEUS & vos. O pii Præceptores, (te Venerande & Cl. D. D. Pappè una compello) Vestram, ut promisistis, adhibete curam. Scribe, solare, communica, labora pro me, labora, & me cultorem tuum perpetuum agnosce. Quare claudo Epistolam, & tibi cum Comico acclamo:

*χάριτος δικαίως καὶ εὐδοκίᾳ καὶ λήμψαν.*  
Vale vir Rev. & me amare perge. Data Marburgi, Idus Sept. ao. 1602.

Rev. V. Dign.

Obs.

Georgius Herdenius, D.

Rogo serìò, Rev. & Cl. D. D. ne de meo ad vos voto cum nostræ patriæ hominibus conferas, sunt enim rationes, quas propter ne hoc fiat, valdè petam.



## XIV.

*Sal. in Christo Servatore.*

**B**revior hac vice in scribendo futurus sum, Reverende & clarissime vir, amice & in Christo frater plurimum colende, propterea quòd haud ita pridem de statum Ecclesiastico; tum Academico, tum meo satis prolixè me scripsisse memini. Commendavi enim tum de notâ optimâ, & R. tuæ Dignitati, & Clarissimo Theologo

H h h h 3

logo

logo Dn. D. Pappo, verè doctum, honestum & pium virum juvenem, M. Henricum Hertzog Thuringium, Theologiae nostrae sincerioris studiosissimum, qui peregrinationem ad Academias superioris Germaniae, cum primis verò ad inclytam Argentinam vestram suscepit, quem etiam meas unâ cum adjuncta meâ Analyfi Articulorum Confessionis Augustanae, rectè modò tradidisse, spero.

Transmitto nunc Sadeelem meum Elenchomenum, rogatu meorum Auditorum praeeritâ aetate conscriptum, sed transmitto eum examinandum, censendum, judicandumque, atq; ut R. tua Dignitas liberè suam mentem aperiat, vehementer etiam atq; etiam rogo. Scio enim hominem me esse, ac proin errare posse, quamquam certus sum, non novum aliquod doctrinae genus, sed illud me defendendum suscepisse, quod Argentorati à R. tuae Dignitatis patre, beatissimae memoriae, & à reliquis meis Praeceptoribus didici, & quod cum analogia fidei exasse consentire, nullus dubito. Optarim equidem, si ita divina ferret providentia, me hanc ipsam doctrinam in vestra florentissima Academia vicissim posse tradere aliis. Nescio enim, qui fiat, quòd tanto Academiae vestrae desiderio teneor, & licet honestissima hic mihi sit statio; malim tamen reliquum vitae meae tempus apud vos transigere. Sed optare fortassis, non itidem sperare hoc licebit. Magnam quidem spem mihi semper fecit R. & Clar. D. D. Pappus, fore, ut brevi voti mei compos reddat; sed ex quo Filium suum Academiae commendavit, & ipse sua tyrocinia edere cepit, languidiorem eum deprehendo. Equidem uti nullius luminibus obstruere, unquam cogitavi: ita (quod DEUS novit) neq; junioris Pappi conatus evertere, in animum induxi. Verum divinae providentiae totum hoc negotium unice commendo. Ipse providebit. Neque recusarem, Pastoris provinciam sive in summo templo, sive in aliis Ecclesiis subire & pro virili eam administrare. Neque enim quicquam in votis magis optatisque habeo, quam ut vel tandem Theoriam cum praxi conjungere queam. Sed fortè carnis affectibus rapi videbor nonnullis, qui tale quid scribere & postulare ausim. Sit, quicquid velit, modo non contra pietatem, neque contra honestatem sit, quod molior. Infirmittatis humanae, & Judicii imbecillitatis notam à me alienam haud esse, ipse ultrò largior, praesertim cum sanctissimos quosq; ei subiectos fuisse, haud ignorem. Ignoscet verò R. tua Dignitas libertati in scribendo, & oblatâ occasione aliquam mei curam suscipiet. Experietur illa vicissim me talem, qualem exoptabit.

Benè in Christo Servatore vale. Scripsi Wittebergæ in summa festinatione, astante tabellario jam petasato; qui istas Ulmam, hinc Argentoratum transportandas, perlaturum promisit. d. 29. Octobris, 1602.

I, R, D.

*observantissimus*

Leonh. Hutterus, D.

XV.

XV.

*Salutem in Christo Jesu Servatore & Immanuele nostro,*

*atq; ut hic annus novus Tue Dign. felix illucescat, feliciter procedat, felicissimeque finiatur, semperque felicior redeat, ex toto pectore precor. Reverende & clarissime Dn. Doctor, Domine & amice plurimum honorande.*

**L**iteræ T. Dignitatis, à M. Meliore Schwartzio Heydenhemio, mihi reditæ, humanitatis & benevolentiae plenissimæ, faciunt, ut committere non possim, quin Dignitatem T. officiosè salutem, simulque, quid Melior ille noster apud nos impetrarit, paucis significem. Potitus est voto suo honestissimus iste juvenis, & receptus in numerum alumnorum Illustrissimi mei Principis, cum quod egregiæ eruditionis & indolis suæ documenta ediderit, tum quod tot gravissimorum Virorum, & inter hos præcipuè T. Dignitatis, ceu Heri sui domestici, testimoniis ornatus & probè munitus ad nos accessit. Jussus itaque est se conferre in stipendium Tübingenste, atque ibi inter illos, quos illi sibi æquales habet, studia sua Theologica continuare, donec aliquando tempore opportuno ad Ecclesiæ Ministerium commodè applicari possit. Speramus eum, si, ut feliciter cæpit, sic perrexerit, fore in magna DOMINI domo (quæ est Ecclesia viventis DEI) vas in honorem sanctificatum & utile DOMINO ad omne bonum opus paratum.

De rebus Episcopatus vestri varia apud nos feruntur, sed incerta omnia. Nos preces nostras quotidianas vobiscum jungemus, rogabimusque, quæ ad pacem sunt Hierusalem, ut DEUS pacis ponat fines vestros pacem, & conforter seras portarum vestrarum, semperque ingeminabimus illud: Da pacem DOMINE in diebus nostris, & clementer averte, ne viperina ESAWirarum progenies aliqua se in inclyta hac urbe (si ædes Ecclesiasticæ Papicolis sint reddendæ) in aliqua earum clam insinuet, indeque virus suum spargat.

Amplissimo & optimo viro, Domino Joh. Georgio Hungertino, affini, amico & fautori meo singulari, salutem Dignitatis T. verbis nunciavi, qui pro hoc humanitatis officio, & fideli sui memoria Dignitati T. magnas agit gratias, eamque ex se peramanter resalutari jussit. Nobilissimo Viro Domino Doctori Meliori Sebitio, cum quo à nuptiis Dihemianis noticia amica intercedere mihi cæpit, & qui nuperæ salutationis meæ internuncius fuit, meis verbis salutem dicere Dignitas T. quæso non gravetur. Bene in Christo Servatore vale, vir Reverende & Clarissime, animoque meo charissime.  
Data, 9. Januarii, 1603.

*Rev. Tue Dignitatis*

*observans*

Johannes Magirus, Præpositus Stutgard.

XVI.



## XVI.

*Reverende & clarissime Dn. Doctor Philippe, amice vetus & colende.*

**A** Ccepi responsum tuum ad literas meas, & quotidie expecto reditum filii tui ex Livonia, cui pecuniam a filio tibi debitam gratus persolvam. Non reddidi vero comiti ipsius Chirographum Matthæi, filii mei, sed aliud per imprudentiam in magna ipsius festinatione, quod ideo significo, ne suspiceris, aliquem dolum subelle. Miror cur tam diu Rigæ subsistat. Poruissim jam certis internunciis ad te pecuniam debitam transmittere, sed nolui a pactis & conventis recedere, & filio, si forte opus haberet, ad iter pecunia, potius quam aliis eam reddere. Si vero transit hac filius, me infalutato, nolim hoc mihi fraudi esse. Habeo paratam pecuniam, quam vel isthuc ad vos transmittam, vel qui mihi restituat filii Chyrographum alii datum & solutione cassatum, per ignorantiam autem comiti filii tui festinanti abiturum, traditum. Bene vale. Nos hic ardentem precamur pro afflictissimis in Styria & Carinthia Ecclesiis, quarum DEUS Ter Maximus sit protector & adiutor in opportunitate. Bene vale cum conjuge & liberis. Dat. Rost. die Annunciationis Mariæ, Anno 603.

T. S.

Val. Schachtius.



## XVII.

*Salutem per Christum plurimam.*

**S**I valetis benè est: Valemus. Γεωμετροφίλος hic, juvenis honestus, pius & Seruditus, M. Kräutelus Treisensis, deformationem patriæ deplorans, Argentoratum ire secum constituit, ibidemque, DEO juvante, studia sua persequi. Petiit igitur à me etiam atque etiam, ut meis literis R. Tuæ Dign. Venerande & Clarissime Dn. Doctor, Domine & in Christo frater plurimum mihi honorande, & dilectissime, commendaretur. Confusus insigni Vestra humanitate & benè de piis studiosis merendi studio, locum dedi petitioni æquissimæ. Quare à R. T. Dign. diligenter peto, ut quod in aliis sæpè liberaliter præstitit, id quod grata mente agnosco & celebros, qui fuerunt à me commendati, in hoc etiam magistro ostendat humanitatis & benevolentia officium. Spero, ipsum satisfacturum nostris votis, per DEI gratiam. Audiet ex ipso Rev. T. Dignitas, si volet, statum Hassiæ nostræ, qui sanè tristis est & turbatus. Mitto alteram disputationem de Jesu Christo: quam rogo  
ut R.

ut Rev. T. Dignitas ita perlegat, ut iudicium suum mihi fraternè aperiatur, præsertim quod attinet sententiam Dominorum Tybingensium Theologorum, de quarto genere communicationis idiomatum. Conatus enim sum, perspicuè meam sententiam proponere, & repetere doctrinam meorum præceptorum, neque delector novitate: De omnipræsencia Christi pauca quidem attuli, sed spero, ex illis mentem meam satis posse percipi. Gratissimum mihi erit audire R. T. D. de hoc argumento sententiam. Valete in Domino quàm felicissimè & diutissimè, & quod facitis me, Vestri studiosissimum, amare pergitte. Dabantur Gieslæ Hassorum, XXVII. Febr. Anno: Me rege Chrliste DeVs.

R. V. Dignitatem

Sincero corde amans & colens

Balthasar Mentzerus, D.

XIIII.

Salutem in Servatore Christo, Reverende & Clarissime Dn. Doctor, amice & frater plurimum colende.

PERjucundum mihi fuit, ex literis tuis (sicut quoque aliorum) cognoscere de tranquillitate & Concordia fratrum, qui doctrinam libri Concordiæ syncerè amplectantur. Pro quo immenso beneficio, Christo principi Pastorum gratiæ immortales meritò debentur. Is quoque incessanter rogandus est, ut illud benef. nobis contra *хубеиу, иги паввезиу*, Calvinistarum & Jesuitarum conservet.

Non minus gratum mihi fuit audire, Reverendum & clarissimum virum, D. D. Pappum strenuè laborare in Refutatione Calumniarum Bipontinarum. Perterruit enim nos rumor jam pridem sparsus, quòd certas ob causas laborem istum è manibus deposuerit. Nos ipsi à DEO precamur vires, ut propediem hoc labore finito, opus Refutationis Bellarminianæ jamdudum cœptum, continare, & feliciter absolvere possit. Recordor enim, quòd cum ante aliquot annos, nos hic convenisset, de illius editione multa nobiscum contulerit. Et quidem ante semestrem, à Theologis Stutgardinis accepimus, Eum partem unam jamdudum ad finem perduxisse. In quo opere perficiendo ne desistat, monitor ipsi esse velis.

Quod ad M. Johannem Bechholdum attinet, jam pridem nobis innotuit singularis ipsius eruditio, & integritas morum, ex literis clarissimi Theologi, D. D. Hunnii, f. m. & Vestris quoq; ad nos superiori quodam anno missis. Quia verò nunc modò Academiæ nostræ membrum factus est, studia ipsius quovis modo juvare prompti sumus. Habitatio ipsi percommode obtigit in ædibus Cancellarii nostri, D. D.

I i i i

Andrez,

Andreae Osiandri, cibum verò in vicinia capit cum D. Doct. Beringero, Professore Hebraeo. Nos simul curabimus, ut intelligat, commendationem vestram pondus apud nos habuisse. Optimè vale, Reverende & clariss. D. Doctor, frater in Christo honorande, Tubingæ, 3. Maji, Ao. 1606.

R. D. T.

Studioff.

Stephanus Gerlachius, D.



XIX.

*Salutem in Christo. Reverende, clarissime Dn. Doctor,*  
*frater in Domino officiosè colende.*

Semel ac iterum ad V. R. D. dedi literas, sed cum ad eas nullum responsum acceperim, dubito esse redditas. Nuper ad me scripsit doctissimus juvenis, D. Justus Einzerling Thuringus, Juris studiosus in vestra Academia, quod Nobilis ipse, quem hactenus instituit, brevi sit discessurus, ac ipse sine discipulo relinquatur, quare se petere, ut ipsum, qui aliquandiu in nostra Academia versatus fuerit, V. R. D. commendarem, quò ad aliam Pedagogiam promoveri possit.

Quod igitur hunc studiosum attinet, audio, esse hominem valde doctum in Jurisprudencia & in artibus, unde etiam in nostra Academia publicè cum laude disputavit, & privatim Institutiones Juris explicavit; sese etiam modestum gessit. Quod religionem attinet, intellexi ex fide digno studioso, quod sit Lutherani ministri Ecclesiae in Ducatu Coburgensi filius. Ex Academia Jenensi ad nos concessit. Et dicit is studiosus, quod in colloquiis nunquam animadverterit, ipsum Calvinistis applaudere. Sed potest V. R. D. etiam copiosè cum ipso de religione conferre, ubi citra dubium suum animum explicabit, & sic V. R. D. ipsum pro suo placito promoveri potest.

Valeat V. R. D. & Rev. ac Cl. D. D. Pappo salutem meam officiosam dicat. Datum Altorffii, 21. Maji, Ao. 1606.

V. R. D.

Deditiff.

Jacobus Schopperus, D.

XX.

XX.

*Salutem in Domino Ihesu sempiternam. Reverende &*

*Clarissime Domine Doctor, amice & frater in Christo honorande atq; Charissime.*

**F**acit ea, quæ inter parentes nostros dilectissimos, nunc cum filio DEI vi-  
ventes, ante annos plusquam triginta, sancta fuit & inviolata, ad mör-  
tem usque conjunctio & familiaritas, ut filium meum Wilhelmum, præsen-  
tium latorem, cum hisce meis literulis, ad R. D. T. ablegare nihil dubitave-  
rim. Quamvis enim de facie Rev. Dign. T. mihi non sit nota, neque  
forsitan ego eidem unquam visus, est tamen memoria nōminis vestri apud me,  
propter parentem semper recens. In cujus rei testimonium ex plurimis Do-  
mini parentis, ad meum olim scriptis literis, & à me hætenus diligentissimè  
asservatis. Epistolam unam R. D. T. monstrabit filius.

Et quia tam impensè olim dilexit Marpachius pater Bidembachium suum,  
non possum dubitare, quin Marpachius filius, omnium paternarum virtutum  
æmulus, propter sanctissimum parentem, Bidembachii illius Nepotem Syno-  
nimum, in suam clientelam sit recepturus.

Cum itaque eum, quem supra dixi, filium, postquam cursum Philoso-  
phicum in Academia Tübingensi (non planè infeliciter, quod spero) abso-  
luisse, ad continuandum studium Juris, ante paucos menses cæptum, ad alias  
Academias Germaniæ mittere constituissem, hanc potissimum ob causam Ar-  
gentinensem eligendam censui, quod ibi sint, quibus filium tutò commen-  
dare possim.

Reverendam itaque D. T. majorem in modum rogo, ut quia filius hic  
meus annum vicesimum nondum ingressus est, ipsa suo consilio eum juvare  
velit, quo tali uti possit mensa, ubi nec sumptus faciat immodicos, nec pravo  
corrumpatur sodalicio.

Et sicut illum à pingui & lauta mensa planè arceri volo: ita vicissim nec  
ex tenuissima & angusta ipsum vivere cupio. Mediocritas enim sicut in  
omnibus ferè aliis, ita hæc etiam in parte, quoad viæus rationem, mihi videtur  
studiis esse accommodatissima.

Quia etiam de moribus ferè magis, quàm de studiis, in hac ætate sum so-  
licitus, peto filium observari, atque ubi opus fuerit, moneri & corrigi, ne excus-  
so fræno malè apud exteros pareat, & nobilissimi temporis, simul atque num-  
morum jacturam faciat.

Plura jam non addo, ne R. T. D. diffidere videar, quam scio mihi hæc in  
parte, pro insigni sua pietate, hæud difficulter gratificaturam.

Pro quo officii genere Reverenda Tua Dignit. me vicissim ad quævis  
paratum inveniet omni tempore. Benè & feliciter valeat Rev. Dignit.  
T. cum

Iiii 2

T. cum Collegis atque tota familia. Dedi Adelbergæ, I. Maji, Anno  
1607.

R. D. T.

addictissimus

Felix Bidembach, D. pro tempore  
Abbas Cœnobii Adelbergenfis, & Super-  
intendens Generalis, Mpr.

XXI.

*Salutem in Christo Jesu. Magnifice Domine Rector, Præceptor ac Mecenas omni  
observantia colende.*

Cum per præsentem Nobilissimum Dominum Helfridum Freybergerum, Tuæ  
Magnificentia convictum & habitationem experientem, commoda mihi scri-  
bendi offerretur occasio, non potui, nec debui, sic urgente observantia Tuæ Magnifi-  
centia debita, intermittere, quin aliquot lineis duntaxat Tuam Magnificentiam  
compellerem. Scio, quicquid id molestia fortasse creare videbitur, T. M. pro bene-  
volò suo erga me affectu, in omnium optimam partem interpretaturam. Colle-  
gium nostrum Anticofterianum puto, cujus ultimam Disputationem à M. Neglino  
ante Annum conscriptam, ac defendendam publicè, cum desiderio hæcenus expe-  
ctavi & adhuc expecto; nec desunt ex studiosis, maximè Wittebergâ non exiguo nu-  
mero huc venientibus, qui sollicitè ex me causam inquirunt, tam diuturnæ procasti-  
nationis unica illius disputationis. Hodie interrogatus à Clarissimi illius Theolo-  
gi, D. D. Polycarpi Lyseri filio, M. Polycarpo, meo in ædibus Clariss., Dn. Cancel-  
larii commensale, nil certi respondere potui. Legi scriptum quoddam Costeri, con-  
tra M. Lucam Osiandrum, in quo merè gloriatur, de suo Enchiridio nondum refu-  
tato, ita ut vix credam, aliquam nostrarum disputationum in ejus conspectum per-  
venisse. Si ad finem deducatur, ego ipsemet, consilio cum T. Magnificentia com-  
municato, eos denuò in alia forma typis mandari curarem. Non dubito, quin tota  
culpa nostro Neglino sit imputanda, qui & in aliis, jam in absentia mea parùm se  
probatum reddidit. Possent tamen fieri, ut opus planè imperfectum relinqueretur,  
ut disputatio ultima vel substituto alio respondente defenderetur, qua in parte M.  
Westerfeldio nihil accedere gratius aut acceptius possent, vel saltem typis mandate-  
tur. Optimè novit T. Magnificentia, quomodo rei sit consulendum.

Me quod attinet; Scripsante aliquot menses, ad Dominum Doctorem Johan-  
nem Pappum, Præceptorem & Patronum meum observandissimum; quod meum  
sit pro-

fit propositum, ejusdem petii consilium, sed hactenus, nescio quas ob causas, nihil responsi accepi. Constitui, Deo volente, disputationem alteram, sub Præsidio iterum dignissimi Dn. Cancellarii, pro gradu defendendam suscipere. Mense Augusto expectatur quidam SS. Theologiæ Candidatus ex Pomerania, Superintendens, ut intelligo, Specialis Stetinensis M. Christophorus Butelius. Sunt in promtu alii quidam competitorum Juris & Medicinæ Candidati. Hæc occasio mihi non videtur esse negligenda. Si Tua Magnificentia suo mihi adesset consilio, ac Domini Doctoris Pappi responsionem urgeret, faceret mihi officium, summo gratitudinis & observantiæ cultu agnoscendum & prædicandum.

Ab Illustri & Generoso Domino Carolo Jørgen &c. Domino meo Clemente, propter disputationum mearum dedicationem, ejusmodi renumerationem accepi, studio & opera Clarissimi Dn. Flori, ut ferè nesciam, qua forma meam grati animi significationem ejus Clementiæ declarare debeam. Consultum arbitror, eam differre, donec disputationis proximæ exemplaria quædam transmittere possim.

Ab Eutringensis Ecclesiæ Pastore, M. Joanne Neobolo, fasciculum præsentem quarundam Epistolarum accepi, negotio cum Bipontinis inservientium, quas ad ejus positionem Argentoratum transmitto. Eas Tua Magnificentia, Reverendo & Clarissimo Domino Doctore, per ministrum offerre poterit; quod ego nomine dicti Domini Pastoris, debita animi observantia, à T. Magnificentia peto. Nomine dignissimi Domini Cancellarii, hospitiis mei colendissimi, plurimam T. M. annuncio salutem. Saluto ipsæmet Dn. Wegelinum, ab eodem peto amicitia jure mihi exemplar Trophæi Augustiniani communicari. Tuam Magnificentiam cum universa familia, tutelæ ac patrocinio DEI Opt. Max. commendans. Datæ Tubingæ, 13. Junii, Ao. MDCVII.

*Magnif. Tuae*

*observantissimus*

M. Joannes Bechtoldus.

XXII.

*Salutem in Christo Jesu.*

**T**Andem, Reverende & Clarissime Domine Doctor, Præceptor ac Patrone summa observantia colende, propositum meum finem suum assequitur. Ad diem enim proximam XIV. Septembr. unâ cum Domino Constantino Varenbulero, & Dn. Georgio Mascœvio Pomerano, SS. Theol. Candidato, DEO benè juvante,

liii 3

adi

ad Actum publicum Doctoratus progrediar. DEUS dirigat hoc ad sui nominis gloriam, & Ecclesiae ac Scholae aedificationem. Qui, verò T. Reverendae Dignitati me totum debeo, non possum intermittere, quin singulari annunciata salute, reverenter & officiosè, precibus à Reverenda T. Dig. contendam, ut Actui ac promotioni nostrae interesse, suaeque praesentia & auctoritate testimonium ipsa perhibere mihi dignetur, quòd quicquid hâc in parte suscepi, meorum Dominorum Praeceptorum ac promotorum consilio & auctoritate sit susceptum. Ego, DEO dante, redus si fuero, ad omnia gratitudinis & observantiae debitae officia offero me promptissimum; breviter autem literarum summa tabellarii festinatione excuso. Scio, T. Reverendam Dign. non verba invitantis sed animum observantem candidum & sincerum consideraturam, meque etiam posthac de meliore nota, discipulum, commendatum retenturam. Tub. 26. Aug. Ao. 607.

Reverenter & officiosè salutatur R. T. D. Digniss. Dn. Cancellarius.

T. Reverendae Dign.

observantissimus

M. Joannes Bechtoldus.



XXIII.

*Salutem officiosam, & felicissimum novi anni auspiciam*

*atq; latissimum exitum ex animo precor, Reverendae & Clarissimae Dn. Doctor, amici & frater in Domino honorandae atq; charissimae.*

Quod ad literas R. D. T. serius, quàm par est, respondeo, non mea sed Tabellariorum culpa accidit, qui rarissimè ad nos veniunt, & ubi venerint, sic subindè maturant abitum, ut nullum mihi relinquunt scribendi spatium.

Ut primum autem vidi literas R. D. T. mox agnovi manum filii optimo parenti (qui nunc in caelis) commodatam. Ea enim divum parentem olim, ad meum daturum literas (dedit autem frequentissimas) sapissimè usum comperio, quando se ipsi propriis manibus scribere non fuit integrum. Ago autem & habeo R. T. D. gratias, quas possum, maximas, pro insigni illa benevolentia, quam mihi & filio non verbis tantum pollicita est, sed & re ipsa praestitit hactenus, & hoc unum exopto, ut mihi parem aliquando gratiam, vel ipsi R. T. D. vel liberis atque posteris ipsius charissimis, ipso facto referre liceat.

Nec desino subindè hortari filium, ut se tanti viri benevolentia non indignum reddat, sed strenuè boni adolescentis officium faciat; id ut fiat, largiatur, qui est omnipotens.

potens. Quod si filius diversum fecerit, magno certe nos parentes suos conficiet mœrore, quia à nobis sic edoctus non est. Repeto autem proximam meam petitionem, ut si fortè officium non fecerit, R. T. D. pro sua autoritate ipsum corrigat, sicut longa experientia edocta, novit tractare ingenia ejusmodi adolescentum, qui sibi ipsis nondum possunt esse Consiliarii. Plura non addo: quia nec R. D. T. diffido: nec quicquam præscribere possum, aut debeo. Valeat interim R. T. D. cum omnibus suis, annos Methusalamicos. Dedi ex Cœnobio Adelbergenfi, 26. Decemb.

1607.

R. T. D.

Additissimus

Felix Bidembach, D. Abbas Adelbergenfis, Superintendens Generalis.



XXIV.

*Salutem per Christum Jesum plurimam & perpetuam P.*

*Reverende & Clarissime Domine Doctor, Præceptor, amice & frater in Christo  
Jesu debita cum observantia colende.*

**T**Riste equidem ad nos pervenit nuncium de obitu magni illius viri & Theologi, Dn. D. Joh. Pappi, Præceptoris & Præsidis quondam mei meritissimi, cujus memoria sit & maneat in æterna benedictione. Interim R. T. D. ex animo de restituta valetudine (imò toti Ecclesiæ) gratulor, quam satis afflictam quoque fuisse collegæ nostri M. Jacobi Satleri filius, David Satlerus, Medicinæ Studiosus, jam in Academia vestra agens, nobis retulit. Quid verò tandem de Ecclesiis Augustanæ Confessionis fiet? Amisimus nos superiori hyemè nostrum D. Polycarpum & ante illum omnes celebriores in hisce regionibus Theologos, qui Ecclesiarum August. Confess. Formulam Concordiæ amplexarum columnæ erant. O miseram & squalidam illarum faciem! Quam tripudiabunt & tantum non triumphum agent adversarii Jesuitæ & Calviniani! Habetis & vos, ut accepimus, in Republ. vestra non paucos Calvinianos, qui defuncto D. Pappo, aliquid moliri non desinent. His ut R. T. D. cum venerando ministerio murum se opponat, etiam atque etiam rogamus, præsertim cum populus nostræ Confessionis, ut norum mihi est, sit additissimus. Fertur quoque ad nos, varia apud vos de Serenissimo nostro Electore propter impetratum feudum Juliacense spargi, quasi magis sit à parte Pontificiorum quàm Lutheranorum, & quod Pontificiis, im-

pri-



primis verò Leopoldo Austriaco, multa concesserit, & huic omnes reditus Ecclesiasticos assignarit. Sed certò sciaris, hæc omnia mera esse Calvinistarum figmenta & mendacia. Quoad religionis negotium promisit Elector, se observaturum pacificationem religionis, qua in Imperio nihil debet sanctius & amabilius. Et habet ille sua consilia, quæ suo tempore aliquando patefient. Calviniani verò liga sua hoc quarunt, ut pro suo ingenio Dominium & jugum Imperatoris excutiant. Quod quam bonum factum sit, suo aliquando malo experientur. Non enim impunè unquam tulit, qui ordinario suo, & quidem supremo post DEUM Magistratui restitit. Optarem etiam Senatum vestrum cautius agere & mendacia illa, ne typis divulgentur, prohibere. Tandem enim ratio reddenda erit. Et notum est, quos fautores hæc vestra Respubl. habuerit in domo Saxonica. Videant ne illos amittant & sibi ipsis malum accersant, ii, qui nimium in alteram partem contra Imperatorem & cæteros Imperii Electores & Principes agentem inclinant. Qua de re si à Rev. T. Dignit. præcipui proceres moneri possunt, nihil abnuo. Bene enim ego cupio vestræ Reipublicæ, in qua aliquandiu vixi.

Cæterum prædictum Dn. Sælerum, Med. Candid. R. T. D. de meliori nota commendo, & quia parens ejus sumptus necessarios suppeditare non potest, per eam, quæ olim inter nos intercescit, amicitiam rogo, ut de aliqua functione in instituendis nobilibus ipsi occasione proxima, prospicere dignentur. Erit ipse gratus & in officio suo diligens. D. Polycarpo nostro p. m. succedet collega M. Paulus Jenisius, qui concionem ejus funebrem habuit, ut hodie Dresdâ ad me perscriptum fuit. Fuerunt quidem varia tractata consilia. Et ego à supremis Consistorialibus (me tum inscio) singulariter commendatus. Sed DEO ago gratias, qui aliud voluit. Aula enim non arripet omnibus, præsertim hisce temporibus & moribus. Fui per sexennium & ultra Ossatii, sed volente ita & jubente Electore Fribergam metallicam concessi, ubi habeo Ecclesiam satis amplam & honestum stipendium. M. Johanni Pappo, D. Pappi filio, salutem meo nomine dici cupio, cui & matri ob obitum parentis & mariti ex animo condoleo. Sæpè optavi certior fieri de refutatione Bellarminiana, quousque in ea D. Pappus progressus fuerit. Quare si R. T. D. aliquid cognitum habet, mecum communicet rogo. Interim successor ipsi quoque sine dubio designabitur, Quis ille futurus sit R. T. D. mihi per literas significet. Valeat jam cum suis & diutissimè & felicissimè, meque amore & favore complecti pergat. Dab. calamo currente, Fribergæ in Misnia, 16. Augusti, Anno 1610.

R. T. D.

observantissimus

Helvicus Garthius, D. Past. Sup. ibid.

XXV.

XXV.

*Salutem per Christum Jesum plurimam P.*

J Amdudum equidem literis R. T. D. respondiſſem, Reverende & Clariffime Domine Doctor, Domine Præceptor, fautor, amice, & frater in Chriſto cum obſervantia colende. Sed cum ſilentii mei cauſa fuerit tabellionum inopia, ſpero me facile excuſatura iri. Jam verò Satlero ad vos redeunte, nolui cum ſine meis R. T. D. ſalutare literis. Et ſanè, qualis nunc harum regionum ſit ſtatus, ſine dubio famâ accepiftis. Sereniſſimus noſter Elector, Chriſtianus II. p. m. 23. Junii, diem ſuum in vera agnitione filii DEI apoplexiâ correptus obiit, & 6. Auguſti hîc apud nos Fribergæ in monumento majorum exuvias ſuas depoſuit. Ita nimirum noſtra meraere peccata, ut non ſolum noſter Princeps, ſed totius imperii Romani columna ceciderit. Succedit frater Illuſtriſſimus, Dn. Johannes Georgius, cui DOMINUS ex alto benedicit & Spiritu ſuo Sancto adſit, ut veſtigiiſ fraternalis, quoad pietatem & ſynceræ religionis zelum (de quo nihil omnino eſt, quod dubitemus) fideliffimè inſiſtat, Amen. Cæterum, quæ de Huberiano aſſecla, Caſparo Hirschio, ſcribis, mihi ex parte grata, ex parte verò minus jucunda fuere. Non enim parum me affecit, quod R. T. D. mendacia iſta hominum reproborum mihi communicare non dedignata fuit. Et tamen non leviter etiam commovit, quod in vulgus ea ſpargi ſine ulla fronte, intellexi. Puto autem calumnias eſſe uſque ad eò crasſas, ut nemo ſanus illis fidem habeat. Habent Wittebergenſes ſecum, M. Fabricium, Hebrææ linguæ Profeſſorem, qui ſemper fuit à partibus Huberi, vivo etiam p. m. ſocero meo, ſed intra terminos vocationis ſuæ ſe continere cogitur. Et præterea nullius ibi eſt æſtimationis. Quin imò non intelligit ſtatum controverſiæ inter Huberum & noſtrates. Is num Hirschium iſtiusmodi rumuſculis lactet & demulceat, pro certo equidem aſſeverare non audeo. Notum eſt omnibus, quicumque Wittebergam inhabitant, quàm placidè in Domino ſocer meus & poſt eum reliqui Theologi obierint. Et ſi neceſſarium fuerit, publicis ſcriptis manes illorum vindicari poſſent. Interim à R. T. D. etiam atque etiam contendo, ut famam tantorum virorum aſſerere porrò pergat. Huberus quidem de novo aliquid molitur, ſed fruſtra. Intellecto obitu Electoris noſtri rectà Drefdam ſe contulit. Petiit à novo Electore, ejuſque Conſiliariis, ut audiretur & diſputationi cum Theologis Electoralibus adhiberetur. Jactavit ſuam longævitatem & adverſariis ſuis deſunctis hinc cauſæ ſuæ bonitatem aſſerere voluit. Addidit inſuper calumnias: Omnes quotquot jam in Electoratu eſſent, Theologos eſſe Calvinianos. Id ſe monuiſſe jam ante non ſemel, & adhuc monere. Scilicet putat ineptus homo, nos omnes eſſe aſinos, quos ille ſolus, præceptoribus noſtris à Domino ex hac vita evocatis, equitare velit. Sed reſponſum fuit homini: Cauſam fatiſ vivo Adminiſtratore Electoratus Saxoniæ eſſe cognitam, ipſum iudicio & conſenſu ordinum ex hiſce regionibus ejectum, & calumnias ejuſ toti orbi Chriſtiano eſſe

K k k k k

notiſſi-

notissimas. Quareò, unde concesserit, redire debeat. Ita re infecta vetus suum latibulum repetere coactus fuit. Dominus verò à perverso atq; Absurdo hoc homine, (sicut ex 2. Thess. 3. socer meus precari solitus fuit) clementissime Ecclesiam suam tandem liberet, Amen. Plura, quæ jam scribam, non occurrunt. Omnia adhuc sunt sedata. Conventus Electoralis mensè sequenti Mülhusi celebrabitur. Is sine dubio res novas aperiet. Jam R. T. D. cum tota Ecclesia & Academia Argentinenfi optimè vivat & valeat, Venerandoque ordini & ministerio Theologico à me salutem precetur plurimam. Dabam raptim Fribergæ, 17. Augusti, Anno

1611.

R. T. D.

*Studiofissimus*

Helvicus Garthius, D.  
ibid. Past. Sup.



EPISTO.